

102.

Fautori suo colendo.

S. P.

Ioannes Bartsch.

Doleo summopere errorem circa Sparganium commissum, numerus paragraphorum mutari vix debet, quia iam in antecedentibus citationes haud paucae occurrunt, quae alias omnes essent falsae. Quid ergo consilii? an idem numerus § bis imprimi potest vna vice 364. altera \*364 vel (364.) exspecto Tuum iudicium. (Nescio an sit 364 §, idem est, tantum pro exemplo adposui numerum.) An desideratur § 376, an vero ratio fuit error ille circa Sparganium, quod philyram transmissam cum § 377. inchoaueris<sup>1</sup>.

Qu. 1. vbinam in characteribus describatur Caprifolium.

Qu. 2. An in Tradescantia illa hirsuties staminum necessario requiratur.

Qu. 3. an adposita sit Knautia.

an in eius perianthio semper 4. flores.

Eheu quanta arcana circa basin rostri transscribere libuit. Nomine Dni Sohlbergii Te saluto, Dnus Lawson, qui Te multoties salutatum cupit, voluit, vt nuntiem eum non potuisse invenire Dominum *Philippus*. Ne aegre feras me tam multis diuersisque rebus molestum esse. Vale. Dab. Lugd. 736. 16. 8<sup>br</sup>.

Linn. Soc., Vol. I: 370.

<sup>1</sup> Numreringsfelet synes i *Flora Lapponica*, s. 271, där de två *Sparganium*-arterna äro betecknade 345 och \*345.

103.

Fautor aestumatissime.

Grates, quas Tibi persoluo, accipe maximas pro Tua, qua votis meis adnuere voluisti, benevolentia. Boerhaavius heri mecum locutus promisit se mihi responsurum, simulac litteras habebit, quia Dnus Sommelodyck Hagae commoratur, et reliqui duo Dni Amstelodami, decusum